



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 54. Quæstio de Sacramento Matrimonii in Patrum cœtu discussa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563. ferret, id nequaquam ob ullam Nationis prærogativam concederetur: ut igitur omnibus satisfaceret, Hispanis petitum ejusmodi testimonium tradebatur, simulque Parisiensis Facultatis Decano differendi locus post Salmeronem primum Pontificis Theologum datur, ac denique sancitum, ut omnes reliqui Pontificii Theologi post hunc Decanum perorarent.

§. LIV.

*Quæstio de Sacramento Matrimonii
in Patrum cœtu discussa.*

Pallav. c. 2.
num. 1.
Sarp. l. 7.
pag. 645.
Pfal. p. 370. Ergo hac eadem die nona Februarii prima habetur Theologorum congregatio, in qua de Sacramento Matrimonii ageretur: porro Salmeron, qui unicus matutino tempore verba faciebat, Matrimonium esse Sacramentum demonstrabat, nequidem exclusis Matrimoniis clandestinis, eoquod ad Sacramenti rationem Parentum consensus haud necessarius esset: postea tamen addidit, quod possit ab Ecclesia hujusmodi consensus reddi necessarius, cum penes illam esset, quemadmodum antea fecerat, constituere nova impedimenta, Matrimonium dirimentia, quibus comprobatis, quæstionem induxit, an hujusmodi constitutio in rem fuisset, de

de quo variis utrinque adductis ratio-
nibus se aliorum iudicio remisit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

Postera die mane Nicolaus Maillardus Theologiæ Parisiensis Facultatis Decanus ex Doctoribus antiquior post Salmeronem perorare jubebatur, cum vero nonnisi post hanc dispositionem a Legatis, & Lotharingio Cardinale factam admonitus fuisset, necesse erat, ut ea, quæ concinnaverat, ex charta legeret: illos tamen, qui Curia Romanæ juribus favebant, sibi propitios reddebat, cum ex oblata Romanum Pontificem nominandi opportunitate affirmaret illum esse *Pastorem, Rectorem, & Governatorem Ecclesie Romanæ, hoc est, Universalis*. Ea res variis sermonibus ansam præbebat, nam cum Italiae Episcopi id eo sensu acciperent, ut inde colligerent, eodem modo in Canone de institutione dici posse, *Papam habere potestatem regendi Ecclesiam universalem*; respondebant Galli, multum interesse, utrum dicatur absolute eum regere *Ecclesiam universalem*, ita ut intelligatur Universitas fidelium, vel an *Ecclesiam Romanam, id est, Universalem*, ubi illa vox *Romanam*, declarat *Universalem*, ac si dictum esset, quæ caput est universalis Ecclesie, ita, ut omnia loca, ubi auctoritas Papæ datur in totam Ecclesiam, intelligantur *disjunctive*, seu supra quamlibet

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

libet Ecclesiæ partem, non *conjunctive*,
sive supra omnes partes simul sumptas.

Sequenti die Cosmas Damianus Hortulanus electus Villabertramdiensis Abbas primus ex Hispaniæ Regis Theologis omne matutinum tempus orationis suæ ubertate expleverat, quin tamen Auditorum animos defatigaret.

§. LV.

*Franciæ Regis epistola ad Synodum
in generali cœtu recitata.*

*Pallav. t. 20.
num. 3.
Psal. p. 370.
Raynald
hoc ann.
num. 23.
Sarp. p. 646.
Mem. pour
le Conc. de
Trente
pag. 307.*

Eadem die generalis habebatur conventus, in quo Franciæ Oratores Synodi Patribus Regis Domini sui epistolam Carnuti die decima octava Januarii datam exhibebant hujus tenoris:
„Carolus Dei gratia Francorum Rex,
„Sanctissimis, & in Deo Reverendissimis
„Patribus, apud Tridentum celebran-
„dæ Sanctæ Synodi gratia congregatis
„salutem. Non dubitamus Sanctissimi
„Patres, quin nobis charissimus, nostri-
„que amantissimus Consobrinus noster
„Carolus a Lotharingia, vos participes
„fecerit illius nuntii, quem nos ad eum
„nuper misimus de felici, & divinitus
„nobis oblata victoria adversus eos no-
„strorum hominum, qui falso Religionis
„prætextu, ex ipsa sacrarum rerum
„profanatione, & alienissimis in Sacros
„Ecclesiæ ministros crudelitatis exem-
„plis,